



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. I. Quid sit Sacramentum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**



# LIBER VI.

## *De Sacramentis.*

**H**abebit hic liber Tractatus sex, 1. agetur de Sacramentis in genere, 2. de Baptismo, & Confirmatione. 3. de Eucharistia. 4. de Pœnitentia. 5. de Extrema unctione & Ordine. 6. de Matrimonio.

### TRACTATUS PRIMUS.

#### *De Sacramentis in genere.*

#### CAPUT I.

#### *De natura Sacramenti novæ legis.*

#### DUBIUM I.

#### *Quid sit Sacramentum?*

**R**esp. Est res sensibilis, quæ ex stabili institutione Christi, vim habet sanctitatis, siue gratiæ justificantis efficiendæ, & per consequens significandæ. *Vnde resolvetur.*

¶

LAD



I. Ad essentiam Sacramenti requiri tria. 1. Ut sit signum stabile. 2. Ut significet veram sanctitatem. 3. Ut eandem efficiat ex opere operato, id est, usu suo & applicatione, per propriam efficaciam & non ex opere operantis, sive per actum aut dispositionem ministrantis, vel subiectantis: quæ etsi ad effectum Sacramenti requiruntur, non tamen ut causa, sed ut conditio sine qua non.

II. A definitione talis Sacramenti excluduntur Sacrificia tam novæ quam veteris legis, quia hæc non sunt instituta ad gratiam ex opere operato conferendam. (etsi nihilominus sacrificium novæ legis sic eam impetret ei, pro quo offertur non ut Sacramentum, usu suo & applicatione, sed per modum impetrationis) sed ad cultum Dei præstandum. *Con. d. 60. a. 22.* 2. Figuras & sacramenta veteris legis, v.g. circumcisionem, transitum maris rubri, agnum paschalem, varias rituum purificationes, & consecrationes sacerdotum, tum quia à Christo non sunt instituta; tum quia veram sanctitatem non efficiebant. Ac licet circumcisio aliquando sustulerit peccatum originale per veram gratiam, id fecit vel ex opere operantis in adultis, vel non ex opere operato, simpliciter & rigorosè, tum quia non continuit gratiam ut causam physicam vel ut causam moralem; quæ nondum erat exhibita passio Christi, & meritum, ex quo gratia pendebat; sed tantum expectati privilegio: tum quia non contulit gratiam formaliter quæ circumcisio, & ex sua institutione, sed quatenus era professio fidei: neque in applicati



applicationis & usus sui alioquin enim omni non  
ponenti obicem, & quidem præter omne meri-  
tum contulisset, quod est falsum, v. *Fill. 1. 1. ca. 1.*  
*Cap. 9. 8. & cap. 8. 3.* Ea quæ dicuntur sacramen-  
talia, v. g. benedictio Abbatis, consecratio virgi-  
nis: quia præcisè ex usu suo, & opere operato,  
gratiam non conferunt: uti nec actus virtutum:  
præterquam quòd hi sensibiles non sint. 4. Lo-  
tionem pedum Apostolicorum, insufflationem  
Christi in Apostolos, per quam Spiritum san-  
ctum illis dedit. Item verba Christi ad Magda-  
lenam & Paralyticum *Luc. 7. Remittuntur tibi*  
*peccata*: quia non fuerunt signa instituta stabili-  
ter ad gratiam conferendam. 5. Martyrium ob  
eandem causam: esto enim ex opere operato  
gratiam conferat, non tamen est specialiter ad  
hoc institutum. v. *Scholast.*

## DUBIUM II.

Quid circa materiam & formam Sacramen-  
torum servandum?

Suppono Sacramentum dupliciter sumi. r. Per  
modum compositi physici, in quo res sensibiles  
& actio, (v. g. in Baptismo, aqua & ablutio:  
in Unctione oleum & unctio) dicitur materia.  
Et quidem oleum, & aqua, materia remota, ac-  
tio verò illa, materia proxima: verba autem  
aut quod eorum loco ponitur, (ut in Matrimo-  
nio signum consensus) dicuntur forma. Per mô-  
dum compositi artificialis, & tunc dicta materia &  
forma, id est, res & verba, simul habent se instar